

*unt & in Asinum vertunt, multum eo lucrifacientes, quia ge-
 stuum miraculo multos distineret transeuntes. Nam ad anus
 mandatum quocunque modo movebatur: non enim illi intellectus
 perierat, sed loquela. Quo cognito Vicinus carè redimit Asinum!
 cautione tamen hac à mulierculis adhibita, ne in aquam descen-
 deret. Servatus est diu ab aquis, tandem autem non tam cau-
 rum nactus custodem, in lacum proximè se coniecit, & ibi se ali-
 quamdiu volutans, propria restituitur forma, cumq; à custode ob-
 vio interrogaretur, num Asinum vidisset, ille se esse respondit &c.
 Huic si fides adhibenda est historiæ, utique tale fuisse cor-
 pus fictitium asserendum erit: Verum cum hæc sint dubia,
 nostram candidè aperiemus mentem per aliquot Conclu-
 siones.*

§. 18. Sit itaque I. Homines aliquando videri in A-
 sinos & Equos &c. transformatos, cum tamen tantum o-
 culi spectantium fascinentur: Interea Dæmones, ferre
 homines ad loca quædam aliena, illisque Phantasiam ad-
 dere, quasi in Asinos, vel Equos &c. transmutati, Domi-
 nis seruiant, alios autem interim adducere Diabolum ve-
 ros asinos, qui illa peragunt opera, quæ ipsis in somnio
 apparent perpetrare. Exemplum suppeditabit jam nar-
 rata Historia, eritque illa ab Augustino l. 18. **de Civit. c.**
17. annotata relatio. Dicit Augustinus, se à *Præstantio* fi-
 de digno viro audiisse eundemq; *Præstantium* retulisse: Patrem
 suum maleficis cibis per sagas correptum gravi somno indormi-
 visse, ac post multos dies, quorum spatio expergisci nullis remediis
 unquam potuerit, narrasse, se per id tempus equi habuisse spe-
 ciem & semper frumenta tulisse: Addidisse etiam portandi tem-
 pus & locum & modum, quo portasset; quarum rerum cum in-
 quireretur Veritas, aiebat, inventum esse, quod Equus ejus spe-
 ciei quam *Præstantius* Pater dixerat, eo tempore & loco frumen-
 ta ipsi tulisset.